

TRACTATUS DE SPE.

A QUÆSTIONE XVII. USQUE AD QUÆSTIONEM XXII.

Expedito tractatu de virtute fidei sequitur de aliis duabus virtutibus theologicis tractare, scilicet de spe, et charitate, in quibus brevitati consulentes ea solum disputare intendimus, quæ graviores difficultates præ se ferunt, et his temporibus solemnioribus controversiis ventilantur, minutioribus aliis relictis, quæ vel de se clariora sunt, vel ex principiis in hac materia explicatis facile poterunt comprehendere.

ORDO MATERIÆ DE SPE SECUNDUM SUAS QUÆSTIONES.

A quæstione decima septima orditur S. Thomas tractatum de secunda virtute theologica spe, usque ad quæstionem XXIII exclusive. Ordo autem quem sanctus doctor servat in explicatione hujus virtutis est idem, quem in tota secunda secundæ, circa explicationem aliarum virtutum perpetuo observavit: reducit enim sanctus doctor totum tractatum alicujus virtutis ad quatuor principalia capita, quasi ad generalia principia. Primo enim considerat ipsam virtutem in se: secundo, donum Spiritus sancti specialiter correspondens tali virtuti: tertio, vitia opposita: quarto, præcepta si quæ dantur de actibus talis virtutis. Et in uno quoque istorum capitum varia membra contineri solent secundum quod plura occurrunt pertinentia ad naturam, objectum, actus, effectus, partes, aut divisionem alicujus virtutis, qua ratione tractatus aliquarum virtutum aliis longiores sunt, ut videre est in materia de justitia, temperantia, et aliis.

In tractatu autem de spe, quæ est virtus theologica, distribuit S. Thomas eodem modo ordinem doctrinæ suæ per illa quatuor capita, seu principia; sed quia in hac virtute neque inveniuntur variæ species in quas dividatur, quia est una secundum speciem atomam; neque habet tam multos effectus sicut charitas, neque partes potentiales sicut virtutes cardinales, ideo tractatus ejus brevior est, quam in aliis virtutibus. Solum autem in virtutibus cardinalibus inveniuntur partes potentiales, id est, virtutes aliæ minus principales, quæ ad cardinales reducuntur, eo quod virtus cardinalis non versatur circa finem, sed circa media, quia est virtus electiva, electio autem versatur circa media. Media autem majorem habent latitudinem, et variationem, et contingentiam, quam ipse finis, qui de se immobilior, et simplicior est. Unde in materia virtutis cardi-

nalis contingit inveniri talem varietatem, quod aliqua illius pars sit difficilior, et principalior quam alia, et illa virtus, quæ attingit partem difficiliorem, vel principalior dicitur virtus cardinalis: reliquæ vero quæ intra latitudinem ejusdem materiæ respiciunt id quod est minus difficile, vel principale, dicuntur partes potentiales illius, cum tamen sint distinctæ virtutes. Sicut in materia temperantiæ illud quod est difficilius ad refræmandum, et moderandum, scilicet delectationes tactus, quæ inter omnes vehementissimæ sunt, respicitur a temperantia, quæ est virtus cardinalis: aliæ vero virtutes moderativæ, sicut modestia, mansuetudo, clementia, eutrapelia versantur circa materias minus difficiles ad refræmandum; et ideo sunt partes potentiales, id est, minus principales respectu temperantiæ. Spes autem cum sit virtus theologica habet pro objecto immediato materiam uniformem, vel potius deiformem et simplicissimam, id est, ipsum Deum ut assequendum: unde caret omni parte potenciali.

Igitur in prima parte tractatus hujus virtutis considerat sanctus doctor, ipsam virtutem spei secundum se, et procedit ejus consideratio scientifica per causas intrinsecas, et extrinsecas. Causæ intrinsecæ dicuntur materia, et forma; extrinsecæ efficiens, et finis. Cæterum in virtutibus, quia accidentia sunt, causa materialis non est illis intrinseca, sed extrinseca, scilicet subjectum, cui inhærent; et quia virtutes, et habitus sunt, dicunt intrinsecum ordinem ad objectum quasi ad materiam circa quam, et formalem causam specificantem, et si virtus theologica sit, ipse finis est ejus objectum specificativum, et propria materia. Quare cum in virtutibus forma intrinseca explicari non possit nisi per ordinem ad objectum specificativum, prius explicat S. Thomas in natura spei formam ejus specificativam explicando objectum, et speciem virtutis, quæ ab illo accipitur, et simul explicat finem, quia cum sit virtus theologica, finis et objectum coincidunt. Similiter explicato quod sit virtus theologica, et consequenter infusa, manet explicatum, quod sit efficienter a Deo; unde in quæstione XVII, ubi explicatur natura spei per causas intrinsecas, simul manet explicatum objectum, et finis, et causa efficiens hujus virtutis. In quæstione vero sequenti XVIII, explicatur alia causa extrinseca, scilicet materialis, quæ est subjectum spei, et sic manet explicatum primum principium tractatus hujus virtutis, quæ est consideratio ejus secundum se. Secundo loco agit D. Thomas de secundo principio, scilicet de dono Spiritus sancti correspondente spei, quod est donum timoris, quia spes, et timor versantur circa idem, et hoc explicat quæstione XIX. Tertio, agit de vitiis oppositis spei, quæ sunt desperatio, et præsumptio; illa per defectum, ista per excessum, et de desperatione agit quæstione XX, de præsumptione quæstione XXI; quarto, et ultimo agit de præceptis, quæ dantur circa actus spei quæstione XXII. Et sic terminatur totus tractatus de hac virtute.

EXPLICATIO LITTERÆ

D. THOMÆ PER SUAS QUÆSTIONES.

Igitur quæstione XVII, cum S. Thomas agat de natura et quidditate spei, quidditas autem uniuscujusque rei constat ex genere, et differentia, incipit D. Thomas in articulo primo, ab ipso genere; genus autem spei est quod

sit virtus, et ostendit esse virtutem, quia attingit ipsam regulam rationis, qua aliquis actus redditur virtuosus: attingit enim ipse Deum, quem respicit ut consequendum, et consequenter attingit ut regulam sui actus: secundo, considerat speciem hujus virtutis, quæ constituitur per suam differentiam, et in hac specie primo considerat suum specificativum; deinde, ipsum specificatum; et quia specificativum est objectum, ostendit quod objectum spei theologicæ est bonum divinum, scilicet beatitudo æterna, ut assequenda. Ubi explicantur duo, alterum æternum, alterum temporale.

Et pro hujus explicatione advertit, quod objectum spei communiter acceptæ est bonum arduum possibile futurum, et omnes istæ conditiones in spe theologica redduntur divinæ, cum quadam tamen connotatione creata: nam bonum speratum per spem theologicam est ipsa bonitas Dei fruenda, arduum est eminentia divina, possibilitas activa ipsa omnipotentia Dei, futurum est ex decreto divinæ voluntatis: et ita spes innititur omnipotentia non absolutæ, sed ordinatæ per voluntatem, alioquin objectum non esset futurum. Sed quia hæc omnia considerantur in ordine ad assecutionem boni divini, ideo non solum concurrat Deus in genere causæ finalis ut bonum, sed etiam in genere causæ efficientis ut auxilians. Unde oportet quod connotet aliquas condiciones creatas, scilicet ipsa auxilia, et assecutionem passivam, quæ sunt effectus auxiliantis Dei, et deinde ipsum subjectum assecutionis, quia spes cum respiciat consecutionem boni, proprie non sperat aliis, sed sibi, nisi in quantum alius aequaliter pertinet ad se per amorem, vel alium respectum; spes enim proprie fundatur in amore concupiscentiæ, antecedit enim charitatem, quæ est amor amicitia, amor autem concupiscentiæ respicit volitum sibi non aliis, et ideo nec spes proprie sperat aliis, sed sibi.

Ex qua consideratione D. Thomas post explicationem gradus generici in virtute spei, ostendendo in primo articulo quod sit virtus, in tribus sequentibus explicat specificativum spei ex parte objecti divini, et ex parte connotationis creatæ. Ex parte quidem boni divini in articulo secundo ostendit tum objectum formale, tum materiale: nam formale est auxilium Dei quatenus reddit possibile, et futurum tam excelsum bonum; et quia innititur spes theologica non cuicumque auxilio, sed supernaturali quoad substantiam, quod est ordinis divini, sequitur quod res sperata, quæ est quasi objectum materiale debeat esse bonum ordinis divini et infiniti, quia ex causa infinita non quomodocumque, sed operante secundum ordinem infinitum, qualis est ordo supernaturalis debet sequi effectus infinitus, id est, ordinis infiniti, hic autem est Deus ut possessus, et assequendus, quia ad hoc ordinatur totus ordo infinitus, et supernaturalis.

In tertio autem articulo ostendit unam connotationem creatam virtutis spei, scilicet subjectum cui sperat, scilicet quod sibi, et non alteri debet sperare. In quarto autem articulo, explicat alteram connotationem creatam, scilicet quod non in homine, id est, in causa creata, sed in auxilio Dei sperari debet, quod est effectus solius Dei.

Et sic explicato objecto specificativo procedit D. Thomas ad explicandam ipsam rem specificatam, scilicet ipsam virtutem spei, ostendendo quam differentiam, et speciem habeat, et hanc speciem hujus virtutis considerat primo, absolute, deinde comparative. Absolute ostendendo quod sit virtus theologica in articulo quinto, quia habet pro objecto immediato, et proprio ipsum Deum tamquam finem assequendum, et in articulo sexto ostendendo ultimam differentiam hujus virtutis theologicæ ab aliis virtutibus theologicis, scilicet a fide, quæ respicit cognitionem Dei; a charitate, quæ tendit in Deum ut in bonum absolute, non ut bonum arduum, et assequendum. Denique comparative considerat hanc virtutem, quia spes est posterior fide, cum fides pertineat ad intellectum, spes ad voluntatem, sed est prior charitate via generationis quatenus spes

non importat amorem ita perfectum sicut charitas, quia spes amat bonum sibi, quod est imperfectiori modo amare, quam charitas, quæ amat bonum propter se. Et ut bene notat D. Thomas 1-2, quæst. XL, art. VII, spes procedit ex amore circa bonum speratum, nemo enim sperat quod non amat, sed causat amorem circa personam, a qua bonum sperat, et quia charitas est amor amicitia qui respicit personam, ideo est posterior spe, et causatur ab illa, spes autem causatur ex amore imperfecto respiciente Deum ut bonum concupitum. Cæterum spes formata supponit charitatem, sicut et fides divina, et hanc duplicem comparisonem considerat S. Thomas articulo VII et VIII.

In quæstione XVIII agit sanctus doctor de causa extrinseca spei, quæ est causa materialis, seu subjectiva a qua non habet specificari, sed in ea existere, et agit tum de subjecto proximo et quo, tum de subjecto quod: subjectum quo est voluntas, quia spes habet pro objecto bonum, subjectum quod est persona. Et potest esse difficultas de homine in triplici statu, scilicet in statu beatitudinis, an maneat spes in beatis; in statu damnationis, an in damnatis possit esse; in statu autem viæ non est difficultas quod detur spes, sed potest esse difficultas an habeat certitudinem, quia nondum est in statu immutabili, sicut beati et damnati, ideoque ostendit articulo primo, quod spes est in voluntate: articulo secundo, quod nullo modo est in beatis, etiam respectu gloriæ corporis licet sit desiderium de ea: in articulo tertio, quod nullo modo est in damnatis, quia carent omni possibilitate adipiscendi beatitudinem: articulo quarto, quod etiam in viatoribus habet certitudinem immobilem, non quidem cognitionis, sed affectus tendentis per immobilem causam ad talis boni adeptionem, id est, per auxilium divinum, licet ex parte liberi arbitrii mutationi, et periculo sit subjecta spes, et etiam ex parte ipsius eventus contingentiam habet, sicut et arduitatem. Cæterum ex parte ipsius eventus contingentiam habet, sicut et arduitatem. Cæterum ex parte rationis formalis quæ est divinum auxilium spes certissima est, licet non ex parte ejus quod connotat homine.

In quæstione XIX agit S. Thomas de dono correspondente spei, quod est donum timoris, ubi attente oportet considerare profundum S. Thomæ ingenium in disponendo tractatu de dono timoris: cum enim timor, qui est passio refugiens malum imminens transeat, et elevetur ad rationem doni Spiritus sancti per hoc quod respicit Deum, ut dignum omni reverentia, et timore, ad hoc ut explicet naturam istius doni præmittit sanctus doctor per octavum articulum omnes modos quibus timor potest respicere Deum, et deinde articulo nono concludit quomodo timor possit esse donum Spiritus sancti, quomodo maneat in patria, etc. Igitur supponit D. Thomas, quod timor communiter dictus potest respicere duo objecta, scilicet malum quod refugitur, et potestatem inflictivam mali, quam reveretur; sicut etiam spes, et respicit bonum quod intendit adipisci, et potestatem cujus auxilio debet obtineri. Deus autem non potest esse objectum timoris tamquam malum quod refugitur, cum sit ipsa bonitas, sed solum ut potestas, quæ potest malum infligere, et sic potest esse objectum reverentiæ, et timoris, sicque spectat ad rationem doni; ad hoc autem explicat D. Thomas omnes modos quibus aliquis timor potest respicere Deum, qui sunt quatuor: nam timor, vel respicit Deum recedendo ad ipso propter mala, quæ timet, et hic timor est mundanus, qui propter mala quæ timet in mundo relinquit Deum, et ideo semper est malus, proceditque ex nimio amore rerum temporalium: vel timor respicit Deum convertendo se in ipsum, propter mala quæ timet, non in mundo, sed ab ipso Deo inferibilia; malum autem quod Deus potest infligere, vel est malum pœnæ puniendo, vel malum culpæ permettendo, qui ergo respicit Deum ex motivo timendi mala pœnæ habet timorem servilem, quia proprium est servorum pœnis subijci, et ex eorum timore operari; qui vero respicit